



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Contemplatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** percrutationem eam significare, qua ipse corda hominum odoratur, eoq; spectare illud ex lib. Re. 1. Sam. 21. Genes. 9. Lib. 21.  
 gum: *Ascendit fumus de naribus eius.* Alibiq; in sacris literis, odorari, cuius & indicium & instrumentum est nasus, placere significat. Ita Noë sacrificante *odoratus est Dominus Deus odorem suavitatis:* hoc est, placuerunt illi sacra, quæ vir illæ probus obtulerat. Idcirco Lex hominem qui vel parvo, vel magno nimis, vel obtorto naso fuerit, ab altari sancto summovet: ne scilicet accedat ad ministerium ejus. Tales sunt quibus vel pauca admodum habentur in Divinis institutionibus quæ ipsi probent, vel quibus omnia nullo discrimine, tam bona quam mala placent, vel illi, quibus mala pravaq; tantum placent, diceret Hefychius. Deinde ad Ranerium conversus: Scio vero conjectores super hac parte multa commentos quæ tu recensere potes, Raneri, qui partem hanc tibi agendam suscepisti. Libentissimè, respondit RANERIUS. Et quando incidimus in nasum, ut ordinem sequar tuum, apud Onirocritas, Urbane pater, eum qui se magno naso per somnium viderit, magna in rebus agendis sagacitate prudentiaq; fore promittitur. Hinc etiam, emunctæ naris viros dici eos usitatum, qui acrisunt judicio conspicui.

## MORS. CAP. XXVII.

**S**I vero aliquis morbo decumbat, & absque naso se imagnetur, futuram illi mortem inde præfagiunt: quod ea pars actutum abiat à cranio.

## SERVITUS. CAP. XXVIII.

**U**T vero ad aures redeamus, id in primis jocofum est, quod apud eosdem Onirocritas habetur de auribus a-fininis, quas qui se habere per somnium imaginatus fuerit. servitatem ii atque ærumnas ingruere homini præfagiunt: nisi fuerit is Philosophus, cui tantum eam speciem prospera ominari tradunt, ob tardiorum aurium motum, quæ con-tanter in hujusmodi animali moventur, quemadmodum firmam esse debere Philosophorum auscultationem vo-lunt.

## LONGA SERVITUS. CAP. XXIX.

**Q**uinetiam humanæ aures apud eosdem Conjecto-res, si servo homini plures accessisse visæ fuerint, longæ sunt servitutis indicium: multa enim ostendunt exte-rius imperia, quæ fomniator is fit audi-turus.

## AMPLITUDO FAMILIÆ. CAP. XXX.

**C**ontra vero, si paterfamilias is fuerit, qui plures habere se aures imagnetur, familia huic a-mplitudinem significari: propterea quod plures filios & servos dicto parentes fit habi-turus.

## LUCRUM. CAP. XXXI.

**O**fficibus autem in somnium idem lucrum apportat: audiet enim multorum voces opera lo-cantium. Verum hæc & hujusmodi pleraq; ut ingenue fatear quid ego sentiam, ingenii humani argutias potius ostendit, quam solidiorem ullam sapiant disciplinam. His dictis ad te Patre con-versus addidit: Nunc tu autem, Urbane pater, si quid sacratius habes super auribus, in medium af-ferre potes: Tum tu nihil contatus.

## CONTEMPLATIO. CAP. XXXII.

**D**um de supercilio disputatum est, unum mihi videtur esse præteritum, per quod homo intelli-gitur sublimium divinarumque rerum contemplatione detentus: propterea quod supercilia eminentiori sunt loco sita, circaq; organa quæ sensum contineant, qui mentis agitatione moveatur. Is vero nimirum sedem habet in cerebro, Neque negarim apud profanos supercilium pro fastu po-ni, fastuososq; Superciliofos dici.

OBE



Artem. d. l. t. cap. eod. ad verbum

Art. ibid.